



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE QUOD AIT DOMINICO IBÁÑEZ DE ERQUICIA, IACOBO KYUSHEI TOMONAGA,

SACERDOTIBUS ORDINIS FRATRUM PRAEDICATORUM, LAURENTIO RUIZ,

LAICO, ATQUE XIII SOCIIS HONORES BEATORUM DECERNUNTUR Ad perpetuam rei memoriam. – «Quod ait apostolus Petrus: Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia eius (cf. *1 Petr.* 2, 21), hoc beati martyres ardenti dilectione fecerunt, quia impleverunt ipsi caritatem qua Dominus dixit non posse esse maiorem (cf. *Io.* 15, 13). Talia enim suis fratribus exhibuerunt, qualia de Domini mensa pariter acceperunt» (Aug. *Tract.* 84, 1-2; *CCL* 36, 536-537). Ita prorsus affirmandum de sexdecim servis Dei, quorum est hic sermo et agitur causa, quorumque, si ad verbi ministerium atque confessionis locum respicias, eadem fuit beata sors, quae sex atque viginti Protomartyrum atque ducentorum quinque Beatorum Taponiensium, quos Pius IX, venerabilis Decessor Noster, glorificavit. Fidelissimi autem hi Dei famuli, natione quidem Europaei et Asiatici, religione vero fere omnes ex Ordine Fratrum Praedicatorum quamvis alii alia condicione, fidem christianam per Insulas Philippines, Formosam atque Iaponicas disseminarunt, suamque erga caelestem Patrem fidelitatem, a quo descendit omnis veritatis lux (cf. *Iac.* 1, 17-18), confirmarunt Nagasaki per patibulum atque fossam, iuxta decreta contra christianos facta annis MDCXXXIII-MDCXXXVI a supremo duce illorum Tokugawa Yemitsu. Primus autem omnium, ratione habita temporis ac dignitatis, venerabilis Dominicus Ibáñez de Erquicia in medium venit, Hispanus, sacerdos ex Ordine Fratrum Praedicatorum, per decem annos Vicarius Provinciales missionis Iaponicae; qui martyrium subiit die quartodecimo mensis Augusti, anno MDCXXXIII, una cum Francisco Shoyemon, Iaponiensi, christianae doctrinae institutore, eodemque novicio atque eiusdem Ordinis fratre adiutore. Brevi, id est die decimo septimo eiusdem mensis Augusti, eos, quos diximus, secutus est passio ac morte Iacobus Kyushei Gorobioye Tomonaga, item sacerdos, Ordinis Fratrum Praedicatorum sodalis, atque ex omnibus maior natus, qui cum Michaële Kurobioye institutore immolatus est. Horum autem uterque Iaponiensis fuit. Eodem anno, die decimo nono mensis Octobris, cruciati sunt Lucas Alonso, sacerdos ex Ordine Fratrum Praedicatorum, natione Hispanus, qui decem per annos sacrosanctam fidem nostram ad usque septemtrionalem partem Insulae Honshu strenue praedicavit; Matthaeus Kohioye a Rosario, institutor atque novicius in eodem Ordine adiutor, e Iaponia, vix duodeviginti annos natus. Anno vero MDCXXXIV vel duae virgines mortem fortiter oppetierunt, condicione Tertiariae Dominicanae eademque Missionariorum adiutrices. Fuerunt autem hae: Magdalena, Nagasakiensis, quae fuisset antes Tertiaria Augustiniana, quaeque medio mense Octobri, post supplicia tredecim dierum obiit; atque Marina, ex urbe Omura, die undecima mensis Novembris lento igne absumpta. Continuant claram hanc martyrum seriem Iordanus Ansalone, Siculus, atque Thomas Hioji Rokuzayemon Nishi, Iaponiensis; quorum alter in urbe Manila sex annos curam animorum gesserat, alter vero egregius Evangelii praeco fuerat in superioribus partibus Insulae Formosae atque in regione Nagasakiensi. Sacerdotes Dominicani ambo mortem subierunt die decimo septimo mensis Novembris, anno MDCXXXIV. Tempore ultimi ex omnibus sex fuere martyres qui, duce Antonio González, ex Ordine Fratrum

Praedicatorum, sacerdote Hispano eodemque theologiae doctore ac rectore Collegii a S. Thoma, e quo Studiorum Universitas Manilensis exorta est, relictis Insulis Philippinis anno MDCXXXVI, Iaponiam petierunt; ubi mox capti – haec fuit eorum fortuna – ultra annum in carcere languerunt in Insula Okinawa, postes Nagasaki ad iudicium translati sunt. Quorum profecto Antonius González, cruciatibus atque febre interfectus, in carcere enectus est, die quarto et vicesimo mensis Septembris, anno MDCXXXVII; ceteri, excruciatii tormentis, die septimo et vicesimo eiusdem mensis patibulum subierunt, qua fine Christi amore mortem occubuerunt. Iuvat sane et eorum subicere nomina, in Dei laudem perpetuam. Sunt ergo: Villelmus Courtet, Gallus, doctor theologiae, atque virtute paenitentiae illustris; Michaël de Aozaraza, ex pago Hispanico Oñate, minister animarum fidelissimus; atque Vincentius Shiwozuka, Iaponiensis, qui sacrum ministerium in Philippinis Insulis exercuerant: omnes Dominicani Sacerdotes. Quos non satis fuit carnificibus supplicie crucis absumi, sed et decapitati iusserunt. Factum est ergo ut quos una Fratrum Praedicatorum religio agglutinavisset, eorum etiam eadem sors ac fortuna in morte esset. Horum autem trium, quos diximus, interpretes Lazarus fuit ex urbe Kyoto, laicus, olim a suis in exilium, sic ut Vincentius, pulsus, fidei christianae causa. Qui, tametsi brevissime ambo, cruciatibus heu confecti, cesserunt, statim tamen in Dei gratiam reconciliati, martyrium fecerunt. Sextus autem et horum omnium ultimus Laurentius Ruiz fuit, Manilensis, pater familias, e Sodalitate Rosarii, atque adiutor Fratrum Praedicatorum degentium Binondi, in Manilae suburbio. Qui, primo dubius, postea vero iter simul cum Missionariis perrexit, atque carcerem, poenas, ac vel ultima fata pro fide implevit. Iamvero si ad beatum Augustinum revertamur a quo digressi sumus, in haec eius incidimus verba: «Multi patiuntur tribulationes; parem habent poenam: sed parem non habent causam ... non facit martyrem poena, sed causa» (*Serm.* 327, 1-2). Cum autem nostrorum martyrum causa esset certissima, id est Christi fides ac religio, idcirco de illorum beatificatione statim agitata est, quamvis primum de sacerdotum tantum. Qua re processus informativi, quos dicunt, instructi sunt Manilae ac Macai, annis videlicet MDCXXXVI-MDCXXXVII, rite. Quorum tamen cum acta periissent, causa stetit ad nostra usque tempora. Actis autem illis luci redditis, anno MCMLIX iterum causa agi coepta est, novis adiunctis documentis, sive sacerdotes illos sive laicos respicientibus ad historicam fidem. Omnibus ergo apud Sacram Congregationem pro Causis Sanctorum feliciter absolutes, quae sacri canones poscerent, tandem die undecimo m. Octobris, anno MCMLXXX, sollemne decretum a Nobis factum est, quo, probato histories atque theologies ratione martyrio, sexdecim horum Dei servorum, iam iter patuit ad sollemnem illorum beatificationem. Quae locum habuit Manilae, hac ipsa die, occasione itineris Nostri ad Extremum Orientem: Manilae, inquit, sic ut Venerabiles Fratres Episcopi Philippini poposcerant, ea praesertim de causa, quod Laurentius Ruiz, primus huius nationis beatus, ac ceteri martyres pastoralia munia in nobilissima hac terra tuiti essent. Hodie ergo, stipati populi multitudine, inter Sacram formulam quae sequitur pronuntiavimus, qua illos beatos declaravimus: «In fulfillment of the desires of my brothers, Cardinal Joseph Asajiro Satowaki, Archbishop of Nagasaki, Arquimino Rodrigues da Costa, Bishop of Macau, and Cardinal Jaime Sin, Archbishop of Manila, and of several other brothers in the Episcopate and of numerous faithful, and after consulting the Sacred Congregation for the Causes of Saints, I, by my apostolic authority, authorize that the venerable Servants of God, Domingo Ibáñez de Erquicia and Jacobo Kyushei Tomonaga, priests of the Order of Preachers, the layman Lorenzo Ruiz, and their thirteen companions be given in future the title of Blessed and that their feast be celebrated annually on the day of their heavenly birth, in the places and in the manner established by law. In the name of the Father and of the Son and of the Holy Spirit. Amen». Post haec et venerati sumus gloriosam hanc militum Christi manum et primi invocavimus, ut Ecclesiae universae sua intercessione prosint. Hae vero Litterae sive nunc sive in posterum firmae sint suamque vim in perpetuum habeant. *Datum Manilae, sub anulo Piscatoris, die XVIII mensis Februarii, anno MCMLXXXI, Pontificatus Nostri tertio.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis* ©

©Copyright - Libreria Editrice Vaticana